

ginem in Africam traicerent ac sociorum populi Romani  
 5 querimonias deferrent—hac legatione decreta necdum  
 missa, omnium spe celerius Saguntum oppugnari allatum  
 6 est. Tunc relata de integro res ad senatum est; alii pro-  
 uincias consulibus Hispaniam atque Africam decernentes  
 terra marique rem gerendam censebant, alii totum in  
 7 Hispaniam Hannibalemque intenderant bellum; erant qui  
 non temere mouendam rem tantam expectandosque ex  
 8 Hispania legatos censerent. Haec sententia, quae tutis-  
 sima uidebatur, uicit legatique eo maturius missi, P. Valerius  
 Flaccus et Q. Baebius Tampilus, Saguntum ad Hannibalem  
 atque inde Carthaginem si non absisteretur bello ad ducem  
 ipsum in poenam foederis rupti deponendum.

7 Dum ea Romani parant consultantque, iam Saguntum  
 2 summa ui oppugnabatur. Ciuitas ea longe opulentissima  
 ultra Hiberum fuit, sita passus mille ferme a mari. Oriundi  
 a Zacyntho insula dicuntur mixtique etiam ab Ardea Rutu-  
 3 lorum quidam generis; ceterum in tantas breui creuerant  
 opes seu maritimis seu terrestribus fructibus seu multitu-  
 dinis incremento seu disciplinae sanctitate qua fidem  
 socialem usque ad perniciem suam coluerunt.

4 Hannibal infesto exercitu ingressus fines, peruastatis  
 5 passim agris urbem tripertito adgreditur. Angulus muri